~~156~~ 335

Viro Summe Venerabili longeque Doctissimo
Danieli Gerdes
Theologo egregio
S. p. d.
Iulius Carolus Schlaegerus.

Equidem recte iustoque tempore accepi iucundissimas tuas, Bremae sub Iulii superioris exitum datas; statimque ad eas rescripsissem, nisi primum muneris negotia, praeter solitum multa, deinde funera meorum ac denique morbi continui ac corpus, quod natura mihi non satis firmum attribuit, per totum autumnum affligentes, obstitissent. Vides, nec paucas me afferre caussas, nec leues silentii diuturnioris, quod adeo pro tua mihi cognita humanitate aequi consules boniq. Accepi etiam epistolae adiuncta quatuor historiae reformationis, lucernam profecto olentis, volumina, vna cum septem partibus perdiuitis scrinii antiquarii. Destinaueras haec omnifariae eruditionis tuae specimina eximia loco ἀντιδώρου Eminentiss. Cardinali Quirino, ad quem tamen haud mittenda existimaui. Cum enim, quae inibi solide disputas, non possint non esse maxime iniucunda ecclesiae Romanae praesuli: veritus sum vtique, ne veritas, vt solet, odium magis pareret, quam amoris suscitaret affectum. Praeterea noui, istum patrem purpuratum atrocem esse suorum dogmatum vindicem, nec facile quicquam multum praetermittere, quo suae partis errores in apricum protrahuntur. Ne igitur lites, quas angue peius odi et omni modo arbitror vitandas, inter viros mihi amicos orirentur: libros tuos non Brixiam misi, vbi certo certius non vni controuersiae ansam praebuissent, sed in pacis templum, arcis Fridensteinensis bibliothecam, vt opima consummatae doctrinae tuae spolia, intuli. Eminentiss. autem Cardinali tuo nomine decentes egi gratias affirmauique, Te beneficium mente memori esse

335v

conseruaturum. Quae de noua Herodoti editione, quam Celeb. Wesse-
lingius parat, nuncias, perplacent. Vtinam opus, omnibus verae eruditio-
nis cultoribus summo futurum vsui, prodeat quantocyus. Proximae
nundinae Lipsienses vigenti nos, si diis placet, bearunt librorum copia:
Pars eorum maxima aut comoedias poematiaq; vernacula aut huius fari-
nae quisquilias sistit, vix digni, quorum tituli doctis innotescant. Prae-
cipuum, quod prodiit, opus meo iudicio est Ziegelbaueri historia litteraria
ordinis S. Benedicti, quippe multis bonae frugis obseruationibus referta.
Emaculatiorem eam accepissemus, si experiri potuisset vltimam limam sui
auctoris pereruditi, qui vero, quod fratrum suorum, in Olmucensi episcopatu
degentium, mores perditos emendare cuperet, ante foetus ipsius editionem
ad plures abire debuit, veneno, vt fama fert, sublatus. Vindobonae excusus
est catalogus duplex numismatum antiquorum cimelii Austriaci, generalis
alter, alter rariorum tantum, adiectis numorum anecdotorum iconismis,
in quo contexendo haud infeliciter elaborarunt Froelichius et Khellius, ambo
e Societate Jesu et in arte numaria, veteri praesertim, versati. Sub huius
ad finem properantis anni initium prelo Florentino liberata sunt opera
Meursii, studio Jo. Lami edita XII primae formae voluminibus, pro
quorum vnoquoq; cum solui debeant LIV Julii Romani, siue IX Thaleri,
vereor, vt multos emtores inueniat liber, in quo adhuc desideratur ora-
tio Jacobo I. Britanniae regi, dicta, quippe quae, licet typis statim sit
descripta, nusquam tamen gentium potuit reperiri. Bibliotheca mea
numaria indies maiora capit incrementa atq; iam vltra mille tre-
centa volumina continet. Sunt in iis ex editis libris complures longe
rarissimi, imo etiam non pauci manuscripti codices. Vtinam hanc col-
lectionem, quae prope abest a perfectione, perficere et integram ad
posteros transmittere mihi per fata liceret. Annum, quem mox auspi-
cabimur, Tibi Tuisq; felicem, faustum et fortunatum voueo, atque vt
porro mihi Tui studiosissimo faueas, enixe rogo. Scrib. Gothae
d. XXIIX Decembr. MDCCLIV.

Monsieur

Monsieur <u>Gerdes</u>, Docteur et
Profeſſeur en Theologie de l'Academie
de Groningue, et Aſſocié de l'Academie
Royale des Sciences de Berlin

à

<u>Groningue</u>